



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

38. Cum sicut dilectus &c. Prohibitio extrahendi quomodolibet Libros
Chartas, & Mobilia, quæcunque ex Bibliothecâ Monasterii SS. Fabiani &
Sebastiani extra, & prope muros Urbis sub pœnâ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

D A M N A T I O

XXXVII.

Et prohibitio Libri Gallico idiomate impressi in plures tomos distributi sub titulo : *Le Nouveau Testament en François avec des réflexions morales sur chaque verset &c. A Paris 1699.* Ac aliter : *Abbrégé de la morale de l'Évangile, des Actes des Apôtres, des Épîtres de St. Paul, des Épîtres Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensées Chrétiennes sur le Texte de ces Livres sacrez, &c. A Paris 1693. & 1694. se vendent à Bruxelles chez Eugene Henry Fricx.*

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

U N I V E R S I Dominici gregis cura humilitati nostra calidius demandata Nos urget, ut sacrarum Scripturarum, quibus potissimum Ecclesia Catholica pascitur, & nutritur, puritati, & integritati custodiendâ sedulo advigilemus, ac Christianidelium animas pretioso ejus sanguine redemptas, pravis, atque fallacibus Doctentium quæ non oportet, institutionibus decipi, aut à viâ veritatis abduci minimè patiamur; salutarius enim veterum Patrum documentis instrui- mur, perversâ petulantium ingeniorum interpretatione de Evangelio Christi fieri Evangelium hominis, & in populi Dei seductionem, & exitium cedere si præsertim pietatis obtentu offensa parentur incautis, & catholice veritati, velut zizania in medio tritici, mala semina miscantur erroris. Cùm itaque, sicut accepimus, in lucem prodierit liber quidam Gallico idiomate impressus, & in plures tomos distributus, sub titulo : *Le Nouveau Testament en François avec des réflexions morales sur chaque verset &c. A Paris 1699.* Ac aliter : *Abbrégé de la morale de l'Évangile, des Actes des Apôtres, des Épîtres de St. Paul, des Épîtres Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensées Chrétiennes sur le Texte de ces Livres sacrez, &c. A Paris 1693. & 1694. se vendent à Bruxelles chez Eugene Henry Fricx :* ac pluries typis recusus fuerit, non sine bonorum offensione, & ingenti animarum periculo propter ejus frequentem, etiam in variis Provinciis, lectionem, & usum, quemadmodum pariter ad Apostolatam nostrum multorum querelâ delatum est : Nos librum hujusmodi nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in sacrâ Theologiâ Magistris maturè, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus; illi verò mandatis nostris obsequentes librum ipsum, post accuratam ejus discussionem, unanimi consensu prohibendum esse censuerunt, utpote qui sacrum ipsum novi Testamenti textum exhibet damnabiliter, nec sine ausu temerario vitiatum, & alteri versioni gallicæ dudum à fel. rec. Clemente PP. IX. Prædecessore nostro per quosdam suas in simili formâ Brevis die 20. Aprilis 1668. expeditas literas damnata in multis conformem, à vulgatâ verò editione, quæ tot sæculorum usu in Ecclesiâ probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem; Notas insuper, & observationes continet, habentes quidem speciem pietatis, sed ad virtutem ejus abnegandam subdole deducentes, in quibus passim occurrunt doctrinæ, & propositiones seditiosæ, temerariæ, perniciosæ, erroneæ, aliàs damnata, & Janenianam hæresim manifestè sapientes. Hinc est, quod Nos creditum Nobis à Domino pastoralis curæ, atque vigilantie

munus, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de eorundem Cardinalium consilio, librum supradictum sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hæcenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christianidelibus, etiam specificâ, & individuâ mentione, & expressione dignis sub pœnâ excommunicationis per Contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, à qua nemo à quoquam (præterquam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente) nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdiciamus, & prohibemus. Volentes, & eadem auctoritate mandantes, ut quicumque librum hujusmodi penes se habuerit, vel in futurum quandocumque habebunt, illum statim atque præsentem literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignari teneantur; hi verò exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent : In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem eadem præsentem literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate prædictâ decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curie generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curatoribus nostris, ut moris est, publicari illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent; Ipsarum autem literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 13. Julii 1708. Pontificatus nostri Anno Octavo.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo octavo, Indictione prima, die verò decima quarta Julii, Pontificatus S. S. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ XI. Anno octavo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curie Generalis in Monte Citatorio, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vasellum S. S. D. N. P. P. Curso-rem.

Jo: Baptista de Cappellis Mag. Curs.

P R O H I B I T I O

Extrahendi quomodolibet Libros, Chartas, & Mobilia quæcumque ex Bibliothecâ Monasterii SS. Fabiani, & Sebastiani extra, & prope muros Urbis sub pœnâ excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ.

XXXVIII.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut Dilectus Filius noster Joannes Maria S.R.E. Presbyter Cardinalis Gabrielli nuncupatus Nobis nuper exposuit, ipse in Monasterio Sanctorum Fabiani, & Sebastiani ad Catacumbas nuncupato prope, & extra mœnia Urbis Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis, quamdam mansionem ad usum Bibliothecæ cum suis forulis, & mensulis, mobilibus, aliisque necessariis ornamentis, decenter suâ impensâ instaurari curaverit, ac in eâ libros collocare intendat, cupiatque propterea eorundem librorum conservationi, & mantentioni opportunè in præmissis à Nobis provideri. Nos ipsius Joannis Mariæ Cardinalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eumque specialis favore gratia profecti volentes, ejus supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne quisquam eujusvis gradus, status, ordinis, præminentie, vel dignitatis existat, aut quocumque officio, auctoritate, vel superioritate fungens, libros, quinterna, quinternetta, folia, chartas, scripturas, & volumina quæcumque tam impressa, quam manuscripta dictæ Bibliothecæ, prædicto Monasterio per memoratum Joannem Mariam Cardinalem hæcenus, quomodolibet di nata, & assignata, seu per eum, vel quoscumque Christianos in posterum quodcumque donanda, & assignanda ex ipsâ Bibliothecâ, sub quovis quæsito colore, prætextu, ingenio, causâ, vel occasione extrahere, vel asportare, aut ut extrahantur, vel asportentur, permittere, vel consentire audeat quovis modo, seu præsumat, sub excommunicationis lata sententia, à quâ nemo absolutiois beneficium à quoquam, præterquam à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, valeat obtinere, ac quoad Regulares, etiam privationis vocis activæ, & passivæ poenis eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium perpetuò prohibemus, & interdiciamus. Permittimus autem Superiori pro tempore existenti prædicti Monasterii, ut libros vulgaris idiomatis lectionis ad Mensam, & Capitulum habendæ, vel reficiendi gratiâ extrahere possit, ita tamen, ut finito eorum usu, & postquam illi refecti fuerint, statim in Bibliothecam prædictam reportari, in eaque reponi debeant, sub eisdem poenis. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictorum Monasterii, & Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ; vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâ in suo robore manserunt, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ Bibliothecæ, aut alio conspicuo illius loco, ubi ab omnibus cerni, & legi possit, affixum assidue remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub anno Piscatoris die vigesima primâ Novembris, millesimo septingentesimo octavo, Pontificatus nostri anno octavo.

F. Oliverius.

P R O H I B I T I O

Extrahendi, commodandi, commutandi, & asportandi quomodolibet sacros libros, & quæcumque paramenta, & ornamenta, ac utensilia Ecclesiastica, vasa, calices, & quæcumque aliam sacram suppellectilem ex quâlibet materiâ formatam ex Sacristia, Choro, Ecclesiâ, & Monasterio SS. Fabiani, & Sebastiani extra, & prope muros Urbis sub poenâ excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut Dilectus Filius noster Joannes Maria S.R.E. Presbyter Cardinalis Gabrielli nuncupatus Nobis nuper exposuit, ipse ad usum, & pro servitio Ecclesiæ, & Chori Monasterii Sanctorum Fabiani, & Sebastiani ad Catacumbas nuncupati prope, & extra mœnia Urbis Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis, libros sacros, pluvialia, planetas, dalmaticas, aliaque paramenta, & ornamenta Ecclesiastica etiam argentea suâ impensâ fieri curaverit, illaque eidem Monasterio donaverit, quinimò alia suppellectilia, & utensilia sacra in futurum similiter donare intendat; ne autem illa deteri, seu etiam deperdi contingat, eorum mantentioni, & conservationi opportunè à Nobis provideri plurimum desideret. Nos piis ipsius Joannis Mariæ Cardinalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ejus supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quisquam etiam quæcumque præminentia, dignitate, vel potestate prædictus libros sacros, pluvialia, planetas, dalmaticas, aliaque paramenta, & ornamenta Ecclesiastica tam ex auro, vel argento, quam ex alia quavis materiâ confecta eidem Ecclesiæ per dictum Joannem Mariam Cardinalem, sicut præmittitur, donata, & assignata, nec non alia quæcumque suppellectilia, & utensilia sacra hujusmodi per eundem Monasterio in posterum quodcumque donanda, & assignanda, aut quancumque illorum partem aliis Ecclesiis, etiam ejusdem Congregationis, & locis piis, aut Personis quibuscumque etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis commodare, vendere, vel oppignorare, aut sub quovis quæsito colore, prætextu, causa, vel occasione ex Ecclesiâ prædictâ, vel illius Sacristia, Choro, & Monasterio extrahere, & asportare, seu ut commodentur, vendantur vel oppignorentur, aut etiam extrahantur, vel asportentur, consentire, seu permittere audeat quovis modo, seu præsumat, sub excommunicationis per Contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, à quâ nemo ab alio, quam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutiois valeat beneficium obtinere, & quoad Regulares, etiam privationis vocis activæ, & passivæ poenis interdiciamus, & prohibemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit Monasterii, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum

in-